



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi


Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Index Antilogiarvm Seu Apparentium Contradictionum, Quæ in
Meditationibus Annotatis Conciliantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)



INDEX ANTILOGIARVM

SEU

Apparentium Contradictionum,
*Quæ in Meditationibus Annotatis
Conciliantur.*

EX PARTE PRIMA.

I. S. Matthæus c. I. v. 17. inquit: *Omnes itaque Generationes ab Abraham usque ad David, Generationes quatuordecim: & à David usque ad transmigrationem Babylonis, Generationes quatuordecim: & à transmigracione Babylonis usque ad Christum, Generationes quatuordecim.* Videri posset Evangelista sibi ipsi repugnare; quia in prima & secunda serie, tantum tredecies repetito verbo *Genuit*, videtur tantum tredecim Generationes enumerasse. Vide solutionem Med. 14.

II. S. Matthæus c. 26. v. 21. & S. Marcus c. 14. v. 18. videntur asserere, quod Christus statim initio Cœnæ ab uno ex Discipulis se tradendum prædixerit. S. Lucas autem c. 22. v. 21. & S. Joannes c. 13. à v. 21. id referunt post pedum Lotionem, & SS. Eucharistiam institutam, quando Judas paulò post surrexit, & exiit ex Cœnaculo. Med. 96.

III. S. Matthæus c. 26. v. 34. ait: Christum Petro dixisse: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam Gallus cantet, ter me negabis.* Idem ait S. Lucas c. 23. v. 34.

F f 4

Non

INDEX

Non cantabit hodie Gallus, donec ter abneges nõsse me. Sed S. Marcus c. 14. v. 64. dicit, Gallum statim post primam Negationem cantasse. Med. 97.

IV. S. Matthæus c. 26. v. 45. scribit, Christum, cum ter ab Oratione surgens Discipulos visitasset, de somnolentia interea reprehensis, demum dixisse: *Dormite jam, & requiescite.* Verum S. Lucas c. 22. v. 46. Unica visitatione relata, concessionem somni omnino videtur negasse: referens enim Verba Christi ad Discipulos: *Quid dormitis? Surgite, Orate, ne intreis in tentationem:* statim addit: *Adhuc eo loquente, ecce turba: & qui vocabatur Judas, unus de Discipulis, antecedebat eos.* Nullum ergo tempus & facultas dormiendi data est. Med. 111.

V. S. Joannes c. 18. v. 13. refert: *Et adduxerunt eum ad Annam primum.* Sed S. Matthæus c. 26. v. 57. scribit: *At illi tenentes JESUM duxerunt ad Caipham.* Med. 116.

VI. S. Matthæus c. 26. v. 8. & S. Lucas c. 22. v. 55. testantur, Petrum sedisse cum Ministris, ad ignem circumfidentibus. Sed S. Joannes c. 18. v. 18. inquit: *Stabant autem servi, & Ministri ejus ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se.* Med. 118.

VII. S. Matthæus c. 26. v. 69. & v. 73. (cui consentit S. Marcus c. 14.) Trinam Negationem Petri recenset factam primo coram una Ancilla, secundo coram altera, tertio coram Ministris, quos dicit accessisse ad Petrum. Sed S. Joannes c. 18. v. 25. secundam Negationem ait factam coram Ministris, & his Petrum adstitisse: tertiam autem testatur factam coram servo Pontificis, cognato Malchi; de qua Negatione

ANTILOGIARVM.

tionē id ipsum etiam testatur S. Lucas c. 22. v. 59. Med. 118.

VIII. S. Matthæus Illusionem Christi per impositionem Coronæ Spineæ videtur postponere Condemnationi ad mortem; S. Joannes verò testatur, illam ante Condemnationem contigisse. Ita enim inquit S. Matthæus c. 27. v. 26. *Tunc dimisit illis Barabam; JESVM autem flagellatum tradidit eis, ut Crucifigeretur. Tum milites Præsidis suscipientes JESVM in Prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: & exuentes eum, Chlamydem Coccineam circumdederunt ei; & placentes Coronam de Spinis, posuerunt super Caput eius, & Arundinem in Dextra ejus &c.* Sed S. Joannes cap. 19. v. 2. & seqq. referens prædictam Illusionem, & Pilati inutilem conatum, per eam eximendi Christum à sententia Mortis, tandem subjungit. v. 16. *Tunc ergo tradidit eis illum, ut Crucifigeretur.* Med. 130.

IX. S. Matthæus c. 27. v. 34. scribit, Christo in Monte Calvariæ datum esse Vinum *Felle mistum*, & ut S. Marcus inquit, *Myrrhatum Vinum*. At S. Joannes c. 19. v. 29. asserit: *Spongiam plenam aceto, hysoppo circumponentes obtulerunt ori ejus.* Med. 135.

X. S. Matthæus c. 27. v. 44. Blasphemias, in Christum ab omni genere hominum congestas, tribuit utrique Latroni, dicens: *Idipsum autem & Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei.* Attamen S. Lucas c. 23. v. 39. solum inquit: *Vnus autem de his, qui pendebant, Latronibus, blasphemabat eum.* Med. 140.

XI. S. Marcus c. 15. v. 25. de tempore, quo Christus Crucifixus est, inquit: *Erat autem Hora Tertia, & Crucifixerunt eum.* Verùm ex omnibus alijs Evangelistis constat, Christum circa Horam Sextam

INDEX

Crucifixum esse, & circa Nonam mortuum. Ita enim habet S. Matthæus c. 27. v. 45. *A Sexta autem tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad Horam Nonam, & circa Horam Nonam clamavit IESVS Voce magna &c.* Med. 147.

XII. S. Marcus c. 16. v. 2. dicit, *Mulieres venisse ad Monumentum, Orto jam Sole.* Econtrariò S. Joannes ait, *venisse, Cùm adhuc tenebræ essent.* Med. 151.

XIII. De Angelis, qui Mulieribus, ad Sepulchrum Christi advenientibus, apparuerunt, S. Lucas ita scribit cap. 24. v. 4. *Ecce duo Viri steterunt secus illas in veste fulgensi.* S. Matthæus tantùm Unius, & quidem sedentis, meminit c. 28. v. 2. *Angelus enim Domini descendit de Cælo: & accedens revolvit Lapidem, & sedebat super eum: S. Marcus c. 16. v. 5. sic habet: Viderunt Juvenem, sedentem in dextris: adeoque non super Lapidem extra Monumentum. Itaque tres Evangelistæ nec quoad numerum Angelorum, nec quoad locum, nec quoad situm conveniunt.* Med. 151.

XIV. Rursum de Mulieribus, è Christi Monumento redeuntibus, refert S. Lucas c. 24. v. 9. *Et regressa à Monumento nunciaverunt hæc omnia illis Vndecim, & cæteris omnibus.* Sed S. Marcus c. 16. v. 8. testatur contrarium: *At illæ exeuntes fugerunt de Monumento; invaserat enim eas timor & pavor: & nemini quidquam dixerunt; timebant enim.* Med. 153.

XV. S. Joannes c. 20. v. 17. narrat, Christum Mariæ Magdalenæ dixisse: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Sed ratione hac non obstantè, S. Matthæus de Mulieribus, paulò post obviantibus Christo, inquit: *Illæ autem accesserunt, & tenuerunt Pedes ejus.* Med. 156. De his ipsis Mulieribus S. Joannes

ANTILOGIARVM.

Joannes præcedenti Capite 19. v. 23. dixerat: *Stabant autem juxta Crucem JESU Mater ejus, & Soror Matris ejus Maria Cleopha, & Maria Magdalene. S. Lucas verò c. 23. v. 49. ait: Stabant autem omnes noti ejus à longè & Mulieres &c. Med. 157.*

XVI. S. Joannes cap. 20. v. 3. testatur, se quoque cum Petro accurrisse ad Monumentum: *Exiit ergo Petrus, & ille alius Discipulus, & venerunt ad Monumentum: currebant autem duo simul. Sed S. Lucas id de solo Petro perscribit: Petrus autem surgens cucurrit ad Monumentum. c. 24. v. 12. Med. 158.*

XVII. S. Lucas c. 24. v. 34. affirmat, reliquos Discipulos credidisse Petro, & dixisse duobus redeuntibus de Castello Emmaus: *Quòd Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. S. Marcus autem oppositum videtur his verbis significare. c. 16. v. 14. Novissimè, cùm serò esset die illo, recumbentibus illis Undecim, apparuit, & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiem Cordis: quia ipsi, qui viderant ipsum resurrexisse (inter quos etiam erat Simon Petrus) non crediderunt. Med. 162.*

XVIII. Idem S. Marcus loco proximè citato dixit: *Novissimè: quasi illa asserta Apparitio fuisset ultima; & tamen, ut constat ex alijs Evangelistis, ista contigit prima die Resurrectionis; post quam multæ aliæ Apparitiones referuntur, unde ait S. Lucas Act. 1. v. 3. Præbuit se ipsum Vivum post Passionem suam in multis Argumentis, per dies quadraginta apparens eis. Med. 162.*

XIX. Citatus S. Marcus dixit: *Recumbentibus illis Undecim apparuit &c. Sed S. Joannes c. 20. v. 24. negat, tunc omnes Undecim recubuisse: Thomas autem unus ex duodecim (de quibus Judas Iscariotes jam priùs sublatus est) qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit JESVS. Med. 162.*

XX.

INDEX

XX. S. Matthæus c. 28. v. 18. refert Christum dixisse : *Data est mihi omnis Potestas in Cælo, & in Terra.* Huic universæ Potestati in terra videntur adversari alia ejusdem Christi Verba, à S. Joanne c. 18. v. 36. allata. Pilato enim interroganti : *Tu es Rex Judæorum?* Respondit : *Regnum meum non est de hoc Mundo &c.* Med. 177.

XXI. Apud S. Matthæum c. 28. v. 10. leguntur hæc Christi ad Mulieres Verba : *Ite, nunciate Fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Et v. 19. hæc dicit ad Discipulos : *Euntes ergo docete omnes Gentes.* S. Lucas autem Act. 1. v. 4. scribit : *Et convalescens præcepit eis, ab Jerosolymis ne discederent &c.* Med. 182.

EX PARTE SECUNDA.

XXII. S. Matthæus c. 8. v. 28. recensens adventum Christi in Regionem Gerasenorum, inquit : *Occurrunt ei duo, habentes demonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis.* Sed S. Lucas c. 8. & S. Marcus c. 5. tantum Unum dicunt Christo obviâ venisse. Med. 235.

XXIII. S. Matthæus verba Jairi ad Christum pro Filia sua sic recitat. c. 9. v. 18. *Domine, Filia mea modo defuncta est; sed veni, impone Manum tuam super eam, & vivet.* S. Marcus c. 5. v. 23. sic loquitur : *Filia mea in extremis est &c.* Med. 238.

XXIV. S. Matthæus c. 8. v. 1. & seqq. narrat, homini Leproso Christum Sanitatem reddidisse, *cum descendisset de monte; & urbem Capharnaum deinde subivisse.* v. 5. Sed S. Lucas c. 5. v. 12. idem Beneficium recensens, ait, id à Christo collatum esse, *cum esset in una Civitatum: adeoque non in via ad Civitatem.* Med. 239.

XXV.

ANTILOGIARVM.

XXV. S. Marcus c. 1. v. 45. videtur negare, quòd Christus post factam, & evulgatam Sanationem hominis Leprosi urbem intraverit: quia homo ille contra Christi prohibitionem *cepit predicare, & diffamare Sermonem, ita ut non posset (Christus) manifestè introire in Civitatem, sed foris in desertis locis esset.* Sed S. Matthæus & S. Lucas locis proximè citatis dicunt, Christum intrâsse, & fuisse in Civitate. Med. 259.

XXVI. S. Matthæus c. 8. v. 5. scribit: *Cùm autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio.* Verùm S. Lucas c. 7. negat, Centurionem accessisse; sed cùm bis legatos suos misisset, Christo adventanti hæc per postremos iussisse dici: *Domine noli vexari: Non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres: propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te.* Med. 260.

XXVII. S. Matthæus c. 10. v. 9. enumerans ea, quæ Christus Discipulis dixit, ne possiderent, refert etiam dixisse: *Neque Virgam.* At S. Marcus c. 6. v. 8. ait: *Præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi Virgam tantùm.* Med. 284.

XXVIII. S. Matthæus c. 15. v. 22. de Matre filia à dæmonio malè vexatæ, & à Christo liberatæ, ait, quod fuerit *Chananaea.* S. Marcus autem c. 7. v. 26. dicit, quòd fuerit *Syrophanissa* genere. Med. 303.

XXIX. Postquam Christus septem panibus pavit quatuor millia Virorum, teste Matth. c. 15. v. 39. *Venit in fines Magedan.* At S. Marcus c. 8. v. 10. ait: *Venit in partes Dalmanutha.* Med. 306.

XXX. Cùm Christus apud S. Matth. c. 16. v. 28. dixisset: *Amen dico vobis: sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium Hominis, venientem*

INDEX

nientem in Regno suo. Istud Vaticinium mox post sex dies impletum esse, his verbis testatur S. Matthæus cap. 17. v. 1. *Et post dies sex assumpsit IESVS Petrum, & Jacobum, & Joannem Fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* S. Lucas autem c. 9. v. 28. post prædictum Vaticinium numerat dies octo, non quidem omnino completos, dicens: *Factum est autem post hæc verba ferè dies octo, & assumpsit Petrum &c.* Med. 313.

XXXI. S. Matthæus c. 20. v. 20. inquit: *Tunc accessit ad eum Mater Filiorum Zebedæi cum Filijs suis, adorans, & petens aliquid ab eo.* S. Marcus autem c. 10. v. 35. non de Matre sed de Filijs asserit: *Et accedunt ad eum Jacobus, & Ioannes, Filij Zebedæi, dicentes: Magister, volumus, ut quodcunque petierimus, facias nobis.* Med. 389.

XXXII. S. Lucas c. 18. v. 35. sic habet: *Factum est autem, cum appropinquaret Iericho, Cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans &c.* S. Matthæus c. 20. v. 29. & S. Marcus c. 10. v. 46. narrant, non in ingressu, sed in egressu ex Jericho hunc Cæcum sanatum; & S. Matthæus non unum, sed duos ponit. Med. 391.

XXXIII. S. Joannes c. 12. v. 1. inquit: *IESVS ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit IESVS. Fecerunt autem ei cenam ibi.* Sed ex S. Matthæo videtur colligi, quòd Cæna ista contigerit biduo ante Pascha. Cum enim, ut dicitur Matthæus c. 26. v. 2. refert, Christus Discipulis suis dixisset: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet:* deinde idem Evangelista vers. 6. subjungit: *Cum autem IESVS esset in Bethania in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum Mulier, habens alabastrum Unguenti pretiosi &c.* quod certum

ANTILOGIARVM.

tum est, sub Cæna accidisse. Videtur itaque, hanc Cænam etiam biduo ante Pascha celebratam esse; postquam scilicet Christus Discipulis dixerat: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet.* Med. 394.

XXXIV. Circa numerum Discipulorum, murmurantium contra effusionem Unguenti pretiosi in Caput Christi, S. Joannes c. 12. v. 4. sic refert: *Dixit ergo vnus ex Discipulis eius, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc Vnguentum non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis?* S. Matthæus c. 26. v. 8. in numero plurali ait: *Videntes autem Discipuli, indignati sunt, dicentes: Vt quid perditio hæc? potuit enim istud vendari multo, & dari pauperibus.* Med. 395.

XXXV. De Extremi Judicij die scribit S. Marcus c. 13. v. 32. Christum dixisse: *De die autem illo, vel horâ, nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater.* At verò S. Joannes c. 5. v. 20. Universalem Scientiam Filio attribuit: *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei.* Med. 413.



INDEX